

In diesem Bande fehlen die Schriften Nr 39-41.

21. Sep. 1955.

Suchier.

Nr. 60.2.

IN VNCTIONE CHRISTI  
PER SPIRITVM SANCTVM <sup>38</sup>

TRINITATIS

CERTAM SIGNIFICATIONEM

EX IES. LXI, 1. 2.

PROPONIT

AD

SACRA PENTECOSTALIA

RITE CELEBRANDA

IN

ACADEMIA FRIDERICO-  
ALEXANDRINA

AUCTORITATE SENATVS

CIVIVM PIETATEM

EXCITATVRVS.

ORDINIS THEOLOGICI H. T. DECANVS

IOACHIM EHRENFRIED PFEIFFER

SS. THEOL. D. ET P.-P. O. SVPERINT. ERLANG.

---

ERLANGAE,  
LITTERIS CAMMERIANIS.

UNIVERSITÄT  
SACHSEN-ANHALT  
LEIPZIG  
BIBLIOTHEK

ALFANSTRINA

AVTORITÄT

STADT

IOACHIM

1711

BRUNNEN

LEIPZIG





I. N. I. C. A.

Quamuis oraculum illud Iohanneum de tribus in caelo testibus, cuius vindicias superioribus annis contra Bensonianam dedimus impugnationem, euentissime Spiritum Sanctum tanquam personam diuinam a Patre Filioque distinctam et cum utroque operantem commendet; non tamen aliis caemus sacrarum litterarum effatis eandem Spiritus S. notionem haud obscure confirmantibus. Quis enim dubitare cum rationis aliqua specie posset, quando in nomen Patris, et Filii, et Spiritus sancti iubemur baptizari; hunc tanquam isti et illi generali consideratione parem, proindeque, quum baptismus eo spectet, vt foedus cum Deo ineamus bonae conscientiae stipulatione, diuinam sub nomine Spiritus S. exhiberi personam a Patre Filioque distinctam et cum utroque hic efficacem? Aut quis negare ex animo sustineret, aequilium trium personarum mentionem fieri, optante Apostolo, vt sit cum ingenuis veri Dei cultoribus gratia Domini nostri

Iesu Christi et amor Dei et communio Spiritus S. Immo vero quid obstat quo minus in omnibus illis locis Scripturae, in quibus ad significationem Patris et Filii etiam Spiritus mentio adicitur, aut praedicata ei personis tantum propria tribuuntur, notionem eam dictioni existimemus subiacere, quae personam a Patre Filioque distinctam et cum utroque operantem fistit? Nullam certe probabilem significatus huius pro incerto venditandi aut omnino praetermittendi adfert causam, qui defectum regulae vrget applicationem istius determinaturae. Siquidem et analogia in communi loquendi vsu obuia non vanam interpretandi regulam exhibet, et talia esse subiecta decet, qualia permittuntur esse a suis praedicatis. Nec in Nouo dumtaxat, verum etiam in Veteri Testamento exempla huc pertinentia occurrere persuasi sumus, in quibus nulli dubitamus numerare vaticinium illud Ies. LXI, 1. 2. רוח אדני יהוה עלי יען משה יהוה אוי לבשר עניס שלחני לחבש לנשכר- לב לקרא לשבוים דרוח וליאסורים בקה- קוח לקרא שנת- רצון ליהוה. Licet enim recentior quaedam exegesis nos doceat, diuini Spiritus nomine non nisi donum didacticum illustrius intelligi, quando verba laudata cum applicatione ad Christum Luc. iv, 18. allegantur sic reddita: Πνευμα Κυρις επ εμε, αν εγενεν εχρησε με ευαγγελιζασθαι πταχοις, απεκαθιε με ικασασθαι τους συντετριμμενους την καρδιαν, κηρυξαι αιχμαλωτοις αφεσιν, και τυφλοις αναβλεψιν, απεστειλαι πεθραυσμενους εν αφεσει, κηρυξαι ενιαυτον Κυριου δευλον. accuratius tamen nostro iudicio IRENAEVS, quum aduersus Valentinianos non Christum descendisse in Iesum, sed Spiritum Sanctum, neque alium quidem Christum, alium vero Iesum esse, probatum ireret, praemisso alio eiusdem Prophetae oraculo addidit: \*) Et iterum ipse Esaias vntionem eius, et propter quid vntus est, prae-

\*) Contra haereses L. III. c. 6. p. 185. Edit. Paris.

▼

significans ait: Spiritus Dei super me, quapropter unxit me euangelizare humilibus, misit me, curare comminutos corde, praeconare captivis remissionem, et caecis visionem, vocare annum Domini acceptabilem, et diem retributionis, consolari omnes plangentes. Nam secundum id quod Verbum Dei homo erat, ex radice Iesse, et Filius Abrahae, secundum hoc quiescebat Spiritus Dei super eum, et ungebatur ad euangelizandum humilibus. Secundum autem quod Deus erat, non secundum gloriam iudicabat, neque secundum loquelam arguebat. In quam sententiam alias quoque hoc vaticinio vtens, scripsit: \*) In Christi nomine subauditur qui unxit, et ipse qui unctus est, et ipsa unctio, in qua unctus est. Et unxit quidem Pater, unctus est vero Filius, in Spiritu, qui est unctio; quemadmodum per Esaiam ait sermo: Spiritus Dei super me, propter quod unxit me; significans et ungentem Patrem, et unctum Filium, et unctionem, qui est Spiritus.

Scilicet Christum hic loquentem proponi, non de se ipso Prophetam loqui, haud incertis constat argumentis. Neque enim alias de seipso Propheta tam magnifice solet differere, de Christo autem saepius, quod exempla CAP. XLII, 1-7. c. XLIX, 15. 16. c. XLIX, 1-6. cum maxime probant. Deinde etiam eandem, quae subiecto huius vaticinii tribuitur, collationem Spiritus Sancti largiorem vindicatam Christo legimus, tanquam peculiarem praerogatiuam, ab eodem Propheta CAP. XI, 1. 2. dicente: Et exibit virga ex trunco Isai, et furculus ex radicibus eius fructum faciet. Et requiescet super ipso Spiritus Iehouae; spiritus sapientiae et prudentiae; spiritus consilii et fortitudinis; spiritus cognitionis et reuerentiae Iehouae; cui quidem alia consonant sanctioris scripturae oracula bene multa, PSAL. XLV, 8. IOH. III, 34. ACT. X, 38. IOH. I, 33.

A 3

MATH.

\*) L. c. C. 18. p. 210.

MATTH. III, 17. Tum vero ad Iesaiæ aetatem omnino non conueniunt, quæ tanquam sequela præconii post vnctionem personæ loquentis expectandi et cum eo coniuncta celebratur, felicitas. Promittitur nimirum, fore, vt desolata temporis antiqui aedificarentur, priscique æui vastata restaurarentur, vt peregrini greges ipsorum pascerent, et alienigenæ agricolæ ipsis essent ac vinitores, vt copia gentium vescerentur earumque gloria se efferrent, vt gaudium ipsis æternum obtingeret, vt celebre inter gentes esset semen ipsorum et propagines in mediis populis, vt qui viderent eos, agnoscerent esse semen Iehouæ benedictum. com. 4-9. Atque horum bonorum non vt longa temporis intercapedine remotorum, sed vt instantium atque iam percipiendorum nuntius ac dispensator is, qui hic loquitur, comparet. Quapropter iis etiam non suffragamur interpretibus, qui sensum verborum litteralem in propheta ipso quaerunt, Christo non nisi mysticum quendam respectum relicturni. Præterea hæud inepte vrget HIERONYMVS coherentiam cum superiori scriptura diuinæ personæ loquentis indicem scribens: \*) *Ile qui supra dixerat: Ego Dominus in tempore congregabo eos: siue iuxta Hebraicum: Ego Dominus in tempore eius, subito faciam istud, loquitur consequenter: Spiritus Domini Dei super me, non quod Dominus Deus habeat Dominum Deum, sed quod iuxta dispensationem carnis assumptæ dicat ea, quæ humilia sunt. Ad quem Psalmista iam dixerat: dilexisti iustitiam, et odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo exultationis præ confortibus tuis. Cui respondet ex interpretum plurium sententia inferioris scripturæ consensus, his verbis: Ego Iehoua diligo ius, odi raptum in holocausto et dabo pretium operis ipsorum in veritate*

\*) Comment. in Ies. ad h. I. OPP. Tom. V. p. 194.



ritate et foedus perenne pangam illis. Quid? quod Christus ipse vnice hoc oraculum pertinere ad se nos pridem docuit in diebus carnis, quod etiam IRENAEVS obseruat his verbis \*): *Propter hoc autem et ipse Dominus in Capharnaum Esaias prophetias legebat: spiritus Domini super me, quapropter unxit me, euangelizare pauperibus misit me, curare contribulatos corde, praeconare captiuus remissionem, et caecis visionem. Semetipsum quoque ostendens praenuntiatum per Esaias propbetiam, dicebat eis: Hodie adimpleta est scriptura haec in auribus vestris.* Quin aliquibus etiam Ebraeorum magistris non obstante N. T. allegatione, quam alias oppugnatum plerumque eunt, adfulsit tamen lux veritatis, vt Christum hic animaduernerent loquentem exhiberi. Quam obrem tanto magis Christianis interpretibus iudicium CAMP. VITRINGAE commendamus, qui, quum de sententia Caluini dixisset, confestim addidit \*\*): *Censeo tamen prudentius et verius hic de sola Persona Christi Iesu cogitari, vt verborum emphasin non infringamus.*

Hunc qui unxisse et misisse, adeoque spiritu suo donasse dicitur, Deus Dominus, procul dubio Pater caelestis, prima in diuinitate persona est. Quo sensu Dominus Deus appelletur, prolixiori declaratione non indiget, quum et rerum omnium Dominus et verus ille Deus sit, cui existentia competit absolute necessaria, *ο υω, και ο υω, και ο ερχομενος*, MATTH. XI, 25. APOC. I, 4. Et quamuis utroque nomine idem exprimatur subiectum: pro diuersa tamen huius consideratione distingui eorum significationes atque eo transferri commode possunt. Venit a DOMINO spiritus moderamen ecclesiae suae demonstraturo, venit idem vt spiritus Dei, glorificaturus eum

\* ) I. c. L. IV. c. 23. p. 260.

\*\* ) Comment. in Ies. ad h. l. Tom. II p. 822.

rus eum, a quo bona omnis donatio et omne donum perfectum descendit, Patrem luminum, penes quem non est mutatio aut vicissitudinis umbra. Neque cur Spiritus ipsius dicatur is, qui Christo obtigit, scripturae reliqua doctrina nos ignorare finit. Ob eam quippe Spiritus Patris caelestis ab aeterno est spirationem, vi cuius procedere spiritum veritatis a Patre Christus docuit IOH. XV, 26. quam in communicatione essentiae divinae recte collocari nouimus processionem. Namque ut Patris et Filii appellationes non ex manifestatione diuinarum personarum, sed actu generationis aeterno atque interno diuinitati arcessendae sunt; siquidem Pater caelestis iam ab aeterno fuit Pater Domini nostri Iesu Christi, EPH. I, 3. 4. atque etiam Filii egressiones ab aeterno sunt, MICH. V, 1. qui et ut Filius aeternus ipse est, EBR. I, 8. IOH. I, 1. 2. 14. et iam in sinu Patris filius, adeoque ante omnem manifestationem externam vnigenitus fuit filius Patris, IOH. I, 18. et omnino proprius esse Filius Dei non posset, nisi ex substantia Patris esset genitus, contra quam docet scriptura, ROM. IX, 32. IOH. V, 19. ita etiam spiritus diuini nomen ea respicit, quae in sinu Trinitatis peraguntur; siquidem alias parum commode spiritus oris diuini intuitu Patris et Filii PsAL. XXXIII, 6. et IES. XI, 5. nuncuparetur, quum halitus oris, antequam foras progreditur, iam sit halitus oris, non per obseruabilem egressionem demum fiat; quin si Spiritum S. aequae ac Patrem et Filium ignoraret Trinitas Deo essentialis soli manifestationis Trinitati tribuendos, ut vult sententia quaedam recentior; in illa quidem personarum differentia abesset, quae vnice nititur oppositione relatiua ex actibus personalibus intelligenda et ad modum habendi essentiam numero eandem redit; in hac vero sola manifestationis differentia non efficeret *am. 10*

*υιου αλλου*, quales sunt Pater, Filius et Spiritus S. IOH. V, 32. 37.  
 CAP. XIV, 16. Vt quidem Dauid in regundo populo rex et in  
 edendis vaticiniis Propheta, nec tamen alius atque alius, sed  
 idem vtrinque Dauid fuit. Quapropter non immerito videmur  
 nobis argumentari: Si patri spiritus, tanquam spiritus ipfius,  
 vindicatur aut per naturam et vi originis non cauffalis ipfius  
 est, aut aliunde euasit. Si posterius dixeris, poterat etiam non  
 esse Spiritus patris, adeoque id, propter quod euasit talis, pos-  
 set etiam non deprehendi in eo, atque ita mutabilis foret, nec  
 diuina gauderet essentia. Quod tamen, quum ex doctrina Scri-  
 pturae falsum sit, quae Deum ipsum profitetur, ACTOR. V, 4.  
 spiritus erit per naturam et vi originis Spiritus Dei patris.  
 Sed si per naturam et vi originis est Spiritus Dei patris, se-  
 quitur vt per Deum patrem sit, et quoniam sine essentia nihil  
 esse potest, vt per Deum patrem habeat suam essentiam. Qua-  
 tenus autem Spiritus S. essentiam habet ab aliquo, procedere  
 ab eodem dicitur. Itaque dum Spiritus, qui Christo obtigit,  
 vocatur Spiritus Domini Dei, ad aeternam ipsius a Deo patre  
 respicitur processionem, atque Spiritus Domini Dei is est,  
 qui Spiritus Patris coelestis per aeternam ab ipso processionem  
 est.

Sed quid agimus? quorsum haec disputamus? Num reuera  
 Spiritus S. a Patre Filioque procedens, ipfa inquam persona  
 haec deitatis tertia, innuitur Christo dicente: Spiritus Domini  
 Dei est super me? Fueritne potius de diuinis donis sermo  
 in quo inaugurabatur ad officii partes explendas Seruator noster  
 optimus? Equidem dona haec non negauerim suo modo innui, quia  
 statim vnctionis suae mentionem loquens facit: iam vero vn-  
 ctionem Christi, prouti facta est Spiritu sancto, in collatione  
 dono-

donorum ad munus obeundum requisitorum conuicere, nemo dubitat: quin donorum infinitorum decus cum maxime huc pertinere alias euicimus. \*) Hoc tamen non obstante, quoniam operari praesentis potius est, quam absentis, etiam in donis per operationem Spiritus sancti conferendis ipsam agnoscere praesentiam oportet operantis huius Spiritus. Quamuis ergo largissimam donorum copiam, quibus in naturam humanam collatis ad officium suum inaugurari salutis nostrae restaurator debebat, haud inficiemur significari, quando Spiritu S. et virtute vnxisse eum Deus ACT. X, 28. dicitur: ipse tamen etiam Spiritus sancti conferentis dona praesentiam non arbitramur excludendam esse. Atque id in textu Prophetico tanto magis valet, quanto minus inani verborum differentia distinguere loquens videtur, quod Spiritus Domini Dei super ipso, et quod ipse a Domino vnctus sit. Prius enim singularem affirmans Spiritus donorum datoris praesentiam, cum illo congruit vaticinio, quo pridem de Christo Propheta docuerat, fore vt super ipso requiesceret Spiritus Domini, Spiritus sapientiae atque intelligentiae, spiritus cognitionis atque timoris Dei. cap. XI, 2. Posterius autem donorum collatorum significationi accommodatius cum ea merito comparatur declaratione, qua Christus oleo laetitiae prae consortibus dicitur vnctus esse PSAL. XIV. 8. EBR. I, 9. Vidit differentiam HVG. GROTIUS, sed nostro quidem iudicio non plane verum perdidit, sic ad oraculum huius allegationem commentatus: \*\*) *εχρησε hic non donationem Spiritus significat (idem enim sui ipsius causa redderetur), sed iniunctum munus, vt et, quod sequitur, απεσαληε.* Vidit, inquam, donationem Spiritus, vi cuius Christus asserit: Spiritus

Domini

\*) In Prog. Pent. quod vnctionem Christi, prouti Spiritu Sancto est facta expendit. an. 1756.

\*\*) Annot. in N. T. ad h. I. p. 745.

Domini Dei est super me; et vnctionem, vi cuius addidit: Iehoua vnxit me; non esse eadem prorsus, sed instar causae atque id, cuius est causa, differre, quum alias idem sui ipsius causa redderetur. Neque tamen peruidit verum, quoniam vnctionem et missionem Christi intuitu rei ipsius sibi censens aequiuale in id, quod modo reprehendebat, quodammodo ipse incidit vitium. Quidni eam potius differentiam naturae vocabulorum significationi respondentem constituimus, vt *illud* ipsius Spiritus Sancti dona conferentis, eorumque vsu moderantis et dirigentis, efficacissimam praesentiam; *istud* vero donorum a Diuino Spiritu collatorum decus copiosum; *hoc* denique vsu eorum in gerendo officio auspicandum proxime respiciat. Recte interim GROTIUS obseruat, *ou evxev* designare hic aliquid consequens, quum alias fere antecedens significet, quod etiam de voce *ן* valet. Potest tamen Ebraea vox ex EZECH. XII, 12. illustrari, vbi fore dicitur, vt per transfossium parietem egressurus obuclaret faciem princeps, *ן*, ita vt oculo non videret terram: graecae autem dictioni explanandae inferuit, quod 2 COR. VII, 12. Apostolus se profitetur scripsisse, *evxev τὴ φωνῆσθηναι*, ideo vt patefieret studium eorum pro ipso coram Deo. Afferit nimirum Christus, obtigisse sibi spiritum, donorum necessariorum largissimum diribitorem, atque adeo diuinitus ipsum omni eorum copia ornatum esse, vt miseriae suae sensu adfectis laetus euaderet praeco; atque ad muneris sui partes donorum vsu auspicandas missum, vt obligaret fractos corde. Ita quippe secundum accentuum dictamen praeconium laetum miseris adferendum cum vnctione loquentis nostri Sospitatoris, pariterque obligationem fractorum corde cum eius missione sentimus cohaerere. In quem sensum etiam

versio Alexandrina explicari commoda interfectione potest, atque ipsa verborum allegatorum in N. T. interpretatio; quod vt clarius significaret interpres Syrus conjunctionem copulativam interseruit vertens: וְהָאֵלֹהִים מִשְׁמַחֵי לִבִּי לְמַסְכְּנֵי וְשֹׁלְחֵי לְמַאֲסֵי לְחִבְרֵי לְבָא לְמַסְכְּרוֹ לְמַסְכְּנֵי וְשֹׁלְחֵי לְמַאֲסֵי לְחִבְרֵי לְבָא.

Atque eum quidem ne praeteruideamus finem officii Christo demandati, paullo accuratius considerandum fuerit, quinam sint עֲנִיִּים, quibus laetum adferret nuntium Christus. Interpres Alexandrinus exposuit  $\pi\lambda\alpha\chi\epsilon\sigma$ , quod intuitu sensus recte dictum Scriptura N. T. retinuit. Vsu quidem vocabuli reliquo non refragante, vulgata, quae dicitur, versio latina *mansuetos* reddidit, consentiens cum Paraphrasae Chaldaeo, qui עֲנִיִּים habet. Sed quemadmodum ipsa vocabuli huius origo, miseriam respici, haud difficulter cuique persuadet: ita etiam vsus comprobatur, ad afflictos atque miseriae suae sensu adfectos eodem designari, prouti interpretatio Alexandrina passim reddidit  $\mu\epsilon\lambda\alpha\chi\epsilon\sigma$ , etiam in aliis locis lectionis varietati cum voce עֲנִיִּים non subiectis, PsAL. X, 17. XXII, 27. Huic primae significationi, qua vox ad afflictum denotatur, altera superuenit, demissum atque mansuetum animum exhibens, quoniam is illorum maxime solet esse, qui miseriam suam calamitatemque sentiunt. Atque ita interpres N. T. Syrus למְכִינֵי humilibus laetum nuntium hic destinari significauit; quocum aliqua etiam graeca versio exhibendo  $\tau\alpha\pi\epsilon\iota\omega\sigma$  in loco nostro conuenit: translatione Arabica interim *pauperes* hic אלְמַסְכִּיִן commemorante, quamuis Syriacae in coniungendis vngendi atque mittendi verbis respondeat, diuellens hactenus praeconium laudatum ab immediato constructionis cum vnctione loquentis vinculo. Scilicet miseriae sensus animum depimit atque a ferocia ad mansuetudinem et modestiam reuocat.

„Quare

Quare neutrum fortasse hic excludendum, sed potius dicendum fuerit, vnctionem Christi eo pertinere; vt laetum adferat nuntium iis, qui miseriae suae ingemiscunt, recepturi cum mansuetudine verbum salutis absque friuola ferocientis animi repugnantia, Iac. I, 21. Ita quoque missionem suam Dominus eo tendere docuit, vt obligaret fractos corde. Et quoniam obligatio vulneribus fauciorum adhibetur, vt restituantur sanitati, recte id absque dispendio sensus graece transfertur *ισουσαι*, quod in codice N. T. obuium etiam Alexandrina exhibet versio. Sunt autem corde fracti, quibus animus ob admissa peccata non leuiter dolet, qui tristitiam secundum Deum sentiunt respicientiae non poenitendae scaturiginem. PsAL. XXXIV, 19. LI, 19. Quumque his obtingat sanatio quando tranquillitas animo restituitur, atque haec restitui nullo modo queat, nisi venia delictorum beneficio diuino reddatur animo certa, IES. VI, 10. PsAL. VI. 3. procul dubio missio Christi, non ad docendam tantum, sed ad perficiendam quoque fractorum corde sanationem, ipsum illud amplissimum expiationis nostrae cum Deo beneficium respicit. IES. LIII, 5. I PET. II, 24. 2 COR. V, 19. Tantum igitur abest, vt doctrinae veritatis caelestis bene consulant, qui naturae labem extenuant vel omnino cum Pelagianis insufficientur, vt potius glorioso Christi detrahant officio, vncti vt adfictis adferret laetum nuntium, missique vt fractos corde sanaret, donati, inquam, Spiritu S. vt mensuram impleret Sospitatoris, qui venit saluatum peccatores I TIM. I, 15. Atque etiam hoc amplius ex addita firmatur declaratione, quod annuntiare captiuus debuerit libertatem et vincis adaptionem confriktionis. Repetendam esse ipsius rei summam ex ista calamitate, in quam peccando incidimus, quis ambigat? Obedientiae Deo debitae violatio et obsequium

B 3

diabolo

diabolo praestitum sub huius non rededit potestatem atque maledictioni legis subiecit: ab ista vero infelicitate liberatio nobis per Christum, vti parta, sic etiam annuntiata est, EBR. II, 14. 15. GAL. III, 13. IV, 5. Et libertas quidem ea voce notatur, quae perinde vt *αφεσις* statum immunitatis denotat expertem omnis seruitutis debitionis atque captiuitatis, IER. XXXIV, 8. 15. cuius proclamatione solempni cumprimis annus Iubilaeus insigniebatur, LEV. XXV, 16. Quamobrem plenissima illa diuinae indolis libertas innuitur, quam cognitae veritati deberi, promissamque illis legimus, quos Filius Dei liberat, vt sint *ουτως ελευθεροι*, IOH. VIII, 32. 36. Constrictorum vero apertionem quod attinet omnimodam, ipso iam Hebraici verbi vsu ad aperturam oculorum deducimur, de qua semper alias vsurpatur, nisi quod apertarum aurium semel IER. XLII, 20. mentio fiat; prouti etiam *caeco* *קק* opponitur sine adiectione, EXOD. IV, 11. C. XXIII, 8. Neque prorsus ab eo respectu secessit Ionathan exponendo *אתנו לנהור*; apertissime vero eum secuta est versio Alexandrina transferens: *τῶ φῶτι ἀναβλεψῶ*, quocum lectio N. T. plane consonat, cui non insertam demum esse hanc textus Ebraei particulam sequiori aetate, vel ex Irenaei loco superius excitato apparet. \*) Siue igitur apertio omnimoda cum respectu ad oculos praecipuo ex geminatis eiusdem verbi postremis litteris radicalibus, \*\*) siue generatim apertio cuiuslibet constrictionis et receptaculi aduertitilis ex Arabica vocabuli *نور* notatione, ea maxime quae ad oculos pertinet, \*\*\*) indicetur; tamen, quomodo vinctis

\*) Conf. IOH. ALB. BENGELII *Appar. Crit. ad N. T. h. l.*

\*\*) Quod post VITRINGAM, qui *visum acutissimum* reddidit, recentius IMM. HOFFMANNVS defendit, exceptioni Russinae de duabus vocibus, non vnicuique, satisfactoris exemplo analogo ex IER. XLVI, 20. in *Diss. ad Luc. IV, 16-21 Tub. 1760.*

\*\*\*) Id quidem etiam recentius Ven. FRID. EB. BOYSEN in *den Beiträgen zum System der Hebraeischen Philologie P. I. p. 412. P. II. p. 403.* existimauit, praecunte IOH. REIN. RVSIUS in *Harm. Euang. Tom. I, p. 531. seq. SCHINDLERO* et aliis.



tis caecorum notio respondeat, accuratius dispiciendum fue-  
 rit. Et recte quidem interpretes pridem obseruarunt, non so-  
 lum ab usu oculorum prohiberi, instar caecorum, qui in car-  
 ceribus detinentur caliginosis, quales erant vel maxime veteri-  
 bus, sed ipsam quoque videndi facultatem diuturna praesertim  
 in iis commoratione sensim infirmari solere et caecitatis labem  
 quandam contrahere; addamus tamen his amplius, non info-  
 lens eo tempore fuisse, vt captiuus omnino perderentur oculi,  
 quod Simsoni quondam accidisse et Zidekiae Iudaeorum regi,  
 memoriae proditum IVD. XVI, 21. et IER. XXXIX, 6. 7. legimus.  
 Istiusmodi ergo vincti, qui cum iactura oculorum vel iam illata,  
 vel saltem in tenebris denique metuenda, ad carceres detrude-  
 bantur, picturam nostrae delineant calamitatis spiritualis. Quare  
 etiam *αγαπᾶς ἐξ ὕψους* per viscera misericordiae diuinae nos di-  
 citur vixisse, vt illucesceret sedentibus in tenebris et umbra  
 mortis. LUC. 1, 78. 79. Quin ea etiam est salutis, quam Chri-  
 stus parauit, applicandae ratio, vt aperiantur hominum oculi,  
 quo se conuertant a tenebris ad lucem et a diaboli potestate ad  
 Deum, accepturi peccatorum remissionem et haereditatem cae-  
 lestem cum iis, qui sanctificantur per fidem in Christum, ACT.  
 XXVI, 18. Primam ergo atque potissimam salutis restaurandae  
 partem iuxta emphasin dictionis Ebraeae, annunciando *ἡ ἀναβλεψὴ*  
*ἀναβλεψὴ* videmus significatam. Quo minus tamen reliqua signi-  
 ficandi potestas Ebraeis competens vocibus penitus negligere-  
 tur, adiecit Christus videtur, quod amplius in textu graeco le-  
 gimus de dimissione sauciatorum cum remissione. Ita quippe  
 constrictis omni modo cumprimis intuitu visus, apertio non  
 limitata retinaculorum quorumuis adapertilium, eaque maxi-  
 me, quae oculos respicit, promitti demum potest, siquidem  
 iis detur, vt non solum ex tenebris ad lucem atque ex cae-  
 citate ad visum pertingant, sed ex duris quoque vinculis, vnde  
 grauiam contraxerant vulnera, dimittantur, non amplius iis ob-  
 noxii. Ergo id egerit Seruator noster in recitando textu proph-  
 etico, vt sensum plenius obseruata dictionum emphasi expri-  
 meret. Quo ipso tamen haud negabimus, quod visum est  
 BENGELIO, deriuari potuisse verba ex IES. LVIII, 6. incidente  
 in diem sabbathi tunc festo expiationis.\*) Horum vero omni-

\*) In Gnomone N. T. adh. l. p. 223.

um denique claufula est annus Domino acceptus, denuntiandus per Christum. De quo, postquam ipse nos DOMINVS ad tempus praeconii sui euangelici remisit, ac de sequentibus etiam euangelii per totum orbem propofiti temporibus Apostolus dixit: 2 COR. VI, 2. *ιδου νυν καιρος ευαγγελισματος, ιδου, νυν ημερα σωτηριας,* nos quidem nihil addimus.

Id potius sub finem monemus differentiam Spiritus S. et Christi loquentis, Patrisque, qui eum misit, clarissime ex hoc oraculo patere. Atque vt deitatem Patris vel ipsa Dei Domini nomina satis comprobant; ita etiam Christum vinctum Dei, officiorum eidem competentium dignitas in restituenda hominibus ex peccato miseris omnimoda salute positorum, Deum esse haud ambigue arguit. 1 IOH. III, 8. 2 COR. V, 19. PSAL. XLIX, 8. 9. IES. XLIII, 24. 25. Spiritus autem diuini naturam Seruatoris humanam necessariis omnibus donis exornantis non esse inferior conditio potest; qui quidem etiam alias vt creator hominum, quin orbis vniuersi celebratur, ΗΙΟΒ. XXXIII, 4. PSAL. XXXIII, 6. Quumque instar personae, non solum in oraculo nostro considerandus proponatur, sed alias quoque tanquam prouocatus ad iram memoretur, IES. LXIII, 10. etiam ipsum personam esse diuinam a Patre Filioque diuersam et cum vtroque operantem merito concludimus.

In ea igitur veritatis caelestis doctrina de vnico vero Deo, Patre tamen, Filio et Spiritu S. persistamus, OPTIMI CVES! inconcussi, neque in animis nostris patiamur diuini luminis radios obliquari. Agamus PATRI caelesti gratias, his maxime festis diebus, quod saluti nostrae prospexit, vt aeternam effugeremus perniciem! Adhaereamus per fidem firmiter Domino nostro IESV CHRISTO, neque annum Domini acceptabilem, cuius ipse nobis auctor et praeco exstitit, expertes fructuum eius salutarium transigamus ingrati! Aperiamus corda SPIRITV S. vt laeto euangelii praeconio, quod Christus fractis corde attulit, gaudentes in libertatem filiorum Dei asseramur collustrati diuino lumine ad vitam aeternam!

P. P.

IN ACADEMIA FRIDERICO - ALEXANDRINA  
FER. I. PENTECOSTES A. O. R. cIoIocCLXXV.  
(L. S.)



Fd 5611

ULB Halle  
002 715 18X

3




PH 306

VD 77

NC







IN VNCTIONE CHRISTI  
PER SPIRITVM SANCTVM<sup>38</sup>  
TRINITATIS  
CERTAM SIGNIFICATIONEM

EX IES. LXI, 1. 2.

PROPONIT

AD

SACRA PENTECOSTALIA  
RITE CELEBRANDA

IN

ACADEMIA FRIDERICO-  
ALEXANDRINA

AVCTORITATE SENATVS

CIVIVM PIETATEM

EXCITATVRVS:

ORDINIS THEOLOGICI H. T. DECANVS

IOACHIM EHRENFRIED PFEIFFER

SS. THEOL. D. ET P.-P. O. SVPERINT. ERLANG.

ERLANGAE,  
LITTERIS CAMMERIANIS.

